

- V. Immaculata Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo;  
 R. Gaudium annuntiavit universo mundo.  
 V. Angelis suis Deus mandavit de te;  
 R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.  
 V. Gloria et divitiæ in domo ejus;  
 R. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.  
 V. Diffusa est gratia in labiis tuis;  
 R. Propterea benedixit te Deus in æternum.  
 V. Dominus vobiscum;  
 R. Et cum spiritu tuo.

## OREMUS.

**P**ERPETUA nos, quæsumus, Domine, pace custodi, quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignatus es.

**D**EUS, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti; quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos ejus intercessionem ad te pervenire concedas.

**D**EUS, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.

**D**EUS, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ sponsum eligere dignatus es: præsta, quæsumus; ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis.